



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Quae est poena uiolati primi praecepti?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

piencia, sed auxilium Dei in omnibus negotijs petere. Non deficere à uerbo Dei, propter metum aut scandala, aut alias ullas causas. Hæc sunt opera primi præcepti. Et in omnibus bonis operibus debet addi hic finis, ut fiant propter Deum, hoc est, quia cupiamus Deo grati esse & obedire. Ita omnia bona opera aliorum præceptorum fiunt opera primi præcepti. Et uirtutes propriè pertinentes ad primum præceptum, sunt fides, timor, spes, dilectio, gratitudo erga Deum, id est, tota obedientia erga Deum. Et hæc opera atque uirtutes, sunt cultus Dei interiores, qui sunt uerè spirituales cultus.

### Quæ est pœna uiolati primi præcepti?

**T**oti decalogo additæ sunt promissiones & comminationes, etsi non repetuntur nominatim in singulis præceptis.

**P**rimum igitur sciendum est, æterna morte puniri uiolationem decalogi, sicut Christus inquit Matt. 5. Nisi iustitia uestra abundauerit etc. **I**tem, Si uis in uitam ingredi, serua mandata.

**S**ecundo accedunt & pœnæ temporales. Estq; primo præcepto peculiaris comminatio addita, puniens in tertiam et quartam generationem zc.

**Q**uod

Quod enim dicit uagari poenas per multos, intelligatur de temporalibus. Itaque magnitudo poenarum commonefaciat nos, ut fugiamus idolatriam & impios cultus, et conemur obedire huic precepto. Et extant exempla, ubi Deus propter poenae peccata maiorum deleuit & ipsos & posteros. Ut Saul cum tota posteritate deletus est. Propter idolatriam Salomonis regnum Israel distractum est, & secuta perpetua discordia duorum regnorum, et impij cultus in Israel instituti sunt. Ita unum peccatum peperit & infinitas calamitates & infinita peccata. Hæc exempla recitantur, ut magnitudinem iræ Dei aduersus peccata consideremus, & Deum timeamus. Horrendum est enim poenas uagari per multos, propter unius peccatum. Ita unus fit reus exitij multorum.

Sed obijciat aliquis, Filius non portabit iniquitatem patris, hæc comminatio minatur filijs propter maiorum delicta, ergo est iniusta? Respondco ad maiorem, Maior debet intelligi de iudicio magistratus. Is tantum autorem delicti debet punire, non alios. Sed hac regula non tenetur Deus. Et sicut humanus captus non uidet quantum mali sit in contemptu Dei, imò hoc peccatum ducit esse honestissimum, Ita Deus sancit poenam supra humanum captum, et ipsius decretum eò est iustum,

stum,

stum, quia ipse decreuit. Deinde & hoc addendum est, pœna æterna nō infligitur nisi propter proprium peccatum. Sed pœnæ temporales uagantur per plures. Sic Ezechiel docet de Euangelio, quod tradit exceptionem huius sententiæ legis. Ezechiel enim accommodat sententiam illam ad iudicium spirituale, filius non portabit iniquitatem patris, uidelicet si intelligatur de æternis pœnis. Hæc enim est propria Euangelij doctrina, quod Deus remittat peccata agentibus pœnitentiam. Item quod nemo æterna pœna puniatur nisi propter proprium peccatum. Item quod etiam temporales pœnas mitiget Deus propter pœnitentiam. Itaque has duas interpretationes hîc obseruemus, uidelicet alteram de pœnis temporalibus, alteram de exceptione Euangelica, uidelicet comminatio est uera, & manet in mundo, sed excepti sunt illi, quos eximit Euangelium, scilicet qui agunt pœnitentiam. Impijs uero hæc comminatio non est abolita, lex Dei est æterna. Quare & hæc sententia aduersus impios manet & durat omnibus temporibus. Ideo punit Deus mundum, erroribus, bellis, dissipationibus rerum publicarum & alijs ingentibus calamitatibus, præcipuè propter peccata contra primam tabulam.

Que